

antiquiores habitam fuisse memorat, unde Pallas sapientia Dea, quæ ex Iovis cerebro profiliit, stygia dicta est, & Medicinæ prælata. ignoras profecto artem hanc ex omnium artium cognitione constare, ut ex Plinio lib. 26. cap. 2. dicunt Tiraq. loco cit. nu. 73. Benius de privileg. Inrec. privi. 55. num. 3. & Carrar. de Med. par. 1. num. 41. ita ut Medicina vera sit Encyclopædia.

26 Ridiculum præterea mediis fidius est, quod in quæstione ponunt nescio qui Doctores, qui puri iureconsulti forte sunt, num Medicus Doctoratus dignitatem consequatur, & hoc tanto magis ridiculum mihi fit, quanto illi iidem Iureconsulti Doctoratus dignitatem absque ullo controversiæ principio sibi adjudicant, an Medicis debeat in dubium revocari, quod minime præstarent, si animus ad rei naturam, & dehinc etiam advertere novissent ad Ecclesiastici protracta illa verba, Honora Medicum propter necessitatem, creavit enim illum Altissimus, hoc est, Deus illum Medicum constituit, ita ut bene hinc deducatur Obicius de nobil. Med. Dial. 1. Medicum à Deo primum Doctoratum adipisci creando illum Medicum, sic enim verba illa intelligenda nonnullorum expositorum auctoritate demonstrat. sed hæc subtilitates quædam obolaria sunt Doctorum forte obolariorum, licet enim plures Iureconsultorum Scriptorum, & Philosophi sint, & viri eruditissimi, quantum ego existimo, in omnique scientiarum genere instructissimi, non idcirco est, quin illorum aliqui inter Scriptores emergant, qui ex libro Doctores sunt; hi quia cæteris rudiores, audaciores etiam, & loquaciores sunt, & aliquando etiam de iis differere audent, quorum cognitionem ex libro non habentes, ex proprio pœnu nonnulla depromunt insulsißima & Beotico ingenio digna, quale eorum est, à scientiæ quam profitentur dignitate alienissima, ut facile detegant crassam, ac contemptibilem ignorantiam suam. sed sermonem contra hos acere tantundem est, ac in Bagoam loqui: hos igitur suæ imperitiæ relinquamus, ad veros Iureconsultos nempe re, & nomen Doctores me converto, hi enim neque tam absurdos scrupulos, neque tam ridiculas dubitatiunculas de Medicorum dignitate, aut doctoratu excitabunt, qui sciunt Medicos apud Imperatores lege constituta inter comites primi ordinis connumerari, ducibusque, ac vicariis æquiparari, quæ dignitates inter maximas Imperii recensentur, de qua re vide quæ assertio Io. Filelac. lib. 1. select. in defens. Medic. advers. Plin.

27 Illud quod tanquam quid maximi ponderis adducunt nonnulli ad demonstrandam vilem Medicorum conditionem in medium afferentes Legum auctoritatem Medicos inter viles artifices connumerantium, confutant nonnulli dicentes cum Gloßa textum loqui de Medicis Brutorum, hoc est, veterinaris, seu Mulomedicis. Cujacius ibi intelligit, & pro Mulomedicis, & Medicis; Medicos autem dicit esse Chirugos. ego concedam de quibuscunque Medicis loqui, quod me nihil moveret, quia de eorum commodum agitur. aliam tamen responßionem ad eum textum assertit Petr. And. Canonher, in prolegom. ad Aphor. Hipp. pag. 146. vers. Respondetur, qui & ad id, quod additur, servos etiam posse esse Medicos loculentissime respondet ibid. pag. 76. vers. Obijcet decimosptimo. sed an non servos medicinam exercentes contra ponderate debent tot summi viri pro Diis ob id à veteribus habitis, tot Imperato-

res, tot Reges, tot Pontifices, tot Legumlatores, tot eximii Philosophi, qui & ipsi medicinam exeruerunt? quorum omnium Catalogum deseruerunt? superfluum esset, sed qui illum habere desiderant videat inter Iureconsultos Tiraq. in jam saepe cit. cap. 31. de nobil. & inter Medicos præter plures ex citatis, prædictum Petr. And. Canonher. ibid. pag. 6. vers. ex præstantia.

De nomine Medici, quod cuiusque licet usur-28 pare, nihil laboro, nam quid hoc ad Mercurium? Homo dicitur tam vir, quam mulier. l. Homini. ff. de verb. & rer. signif. num idcirco ejusdem conditionis, & dignitatis mulier est, ut vir? aut vir quicumque dignitatis ob id amittit, quod etiam mulier ut vir Homo appelletur? Sed si ex eo, quod nomen Medici etiam vilibus personis commune est, Medici dignitas diminuitur, cur non alia ex parte adaugeatur ex eo, quod nomen Medici Deo ipsi tribuitur? cur tacent calumniosiores isti Medicomastigi, Christum Dominum non modo se vocasse Medicum, sed Archiatrum, hoc est, principem Medicorum, ut ex D. Chrystophomo Homil. 6. refert Gasp. Tristan. de Cler. Med. 9. §. in fin. imo & Medicum se hominibus præbuisse, ut ex Iureconsultis præter alios referunt Tiraq. de nob. cap. 31. num. 291. Scaccia de fin. & re Ind. Gloß. 3. quæst. 1. Carrar. de Med. in presat. & par. 2. num. 17. & ex nostris Goynæus in dial. Quod Med. Inrec. præced. deb. Galpar. Tristan. ubi supra, Petr. And. Canonher. loco saepe citato. Prætereunt data opera qui calumniari gratis cupiunt, quod etiam Angeli Medici nomen assumant, nihil enim aliud importat Raphaelis nomen, nisi Dei medicina, & quod ipsi Angeli Medici officium exeruerint, ut de eodem Raphaelæ patet Tobie cap. 12. vers. 12. & segg. & de Angelo movente Probaticampicnam, & aliis, quæ unusquisque videre potest apud plures ex citatis auctoribus, & maxime apud Tiraq. nu. 103. & segg. Sed quid ego non ipsam legem medicinam vocari dixerim, & ipsos Iudices Medicos, cum Plato lib. 3. de Republica. Iudices animo mederi firmaverit? & Plut. de sera Numa. vinda. non aliter Ius vocaverit, quam Animæ medicinam. de qua etiam re vide præcitatum Tiraquell. ibid. num. 316. & segg.

Eandem sapit subtilitatem, quam superior objectionis, dicitur illud protractum apud Iureconsultos, quod Medici non sint majoris valoris, quam Obsterices, tantidem enim æstimantur, quod tamen satis refellit ex Iureconsultis post Ripam Carrar. de Med. par. 4. nu. 162. & segg. & ex nostris Roderic. Castren. & Peregrin. ubi alias, qui & ad id, quod opponitur, Medicos apud Il. vocari Parabolanos satisfaciunt, & præter eos Scaccia etiam loco supra citato. num. 32. ad quod ipse quoque habeo aliquid, quod Iurisperitorum quorundam & male dicentium reprimat, & ignorantiam detegat, apertissime enim per ipsum textum legalem demonstrare licet, Parabolanos apud leges pro Medicis non accipi, cum, ut per ipsam legum sanctionem liquet, Parabolano-30 rum electio (qui vere hospitalarii sunt, ut præcitati Auctores declarant, & comprehenduntur inter Clericos, ut per Cujac. in expositio. Novell. consil. Justin. novell. 3. qui & clarius qui sint Parabolani, vel Parabolani exponit) pertinet ad Episcopum, at electio Medicorum pertinet ad Decuriones, seu Magistratus, ut clarissime demonstratur per l. primam ff. de decret. ab Ord. facien. Carrar. de Med. par. 3. in primis, five pertinet ad Senatores, ut idem ibidem profertur.

quitur. Ergo si Parabolani, & Medici non sunt eligendi ab uno eodemque genere Personarum, Parabolani, & Medici apud leges pro iisdem personis non accipiuntur; imo vitio dari posset ipsi legumlatore quod hoc nomen pro Medicis usurpasset absque ulla occasione, ac ne minima quidem necessitate, sed inaniter omnino, ac præter rem, cum proprium nomen, & usitatissimum haberet, & leges debeant uti vocibus claris non dubiis, & obscuris, ut alias dixi. Atque hinc facile evanescit insulsa eorum scurrilitas, qui Medicis hoc nomen imponi à legibus contendunt, quod multas habeant parabolâs, & multa suis ægrotantibus polliceantur. Gloß. in cit. l. Parabolani. C. de Episc. & Cler. Ferdin. Abduen. contra Iurispnd. vint. pag. 12. qui & insulsißime Archiatros dicit, vocari eisdem Medicos, quod Auctores, & principes omnis mali, & morosis credantur, neque adducens, neque sciens deductionem hujus vocis à Græca voce yatro, de qua tamen si aliquid scire lætos desiderat legat Mercurial. lib. 4. variat. lib. cap. 11. ubi etiam declarationes quasdam nonnullarum legum C. habet, & Marf. Cagnat. lib. 2. variat. Observat. cap. 15. & ex Iureconsultis Cujac. ad l. Medicos. C. de professor. & Med.

Sed jam cætera inaniter simul, ac procaciter in Medicinam, & Medicos prolata præteribo, ne aliena imprudentia me quoque procacem reddat, ac contra naturalem propensionem acerbius, quam ferat, obloqui compellat; nam respondendum quidem interdum stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, aliquando vero non respondendum stulto juxta stultitiam suam, ne efficiamur ei similes, secundum Sapientis sententiam Proverb. cap. 16. vers. 4. & segg. qui tamen cumulatus percurrere cupit responßiones omnes ad objectiones contra medicinam, & Medicos factas, videat præ cæteris Petr. And. Canonher. in proleg. citat. cap. 1. à pag. 40. ad plures seg. & Mercur. lib. 1. & 2. Error. popul. & ex Iureconsultis Tiraquell. & Carrar. cæterosque tam Medicos, quam Iureconsultos supracitatos.

S V M M A R I V M.

- 1 Leges quomodo ab Hominum malitia oria.
- 2 Lex à Natura. & num. 4.
- 3 Lex & Natura omnia sibi subjiciunt.
- 4 Leges subjiciuntur Homo est dirigibilis in bonum.
- 5 Lex quid ex Cicero.
- 6 Virtus est Hominis propria.
- 7 Leges plurimum ad magnanimitatem conferunt.
- 8 Leges Homines ad infusam virtutem disponunt, & acquisitam cassant.
- 9 Legibus Homines cum Diis conficiuntur.
- 10 Lex est Dei donum.
- 11 Leges humane omnes ab æterna lege.
- 12 Homo si per se bene viveret, non egeret legibus, quomodo accipiendum.
- 13 Lex est regula humanorum actuum. (cum est.)
- 14 Quod leges à quando sint injuste hominum peccata.
- 15 Leges sine ratione late non dicuntur leges.
- 16 Lex etiam æra, & injusta cur sit servanda.
- 17 Legum obscuritas Hominum peccatum est.
- 18 Contrarietas legum est quid ex accidenti.
- 19 Lex semper cum mundo fuit.
- 20 Regna legibus carere non possunt.
- 21 Homo separatus à lege est pessimum animalium.
- 22 Iureconsultorum invidiam advenit male constitutam civitatem offendere quomodo accipiendum.

- 24 Leges suo fine non frustrantur.
- 25 Iurisperitum non esse artem, neque scientiam falsum.
- 26 De ratione legis est, ut iusta sit.
- 27 Insulsißitas legum non facit instabilem scientiam condendis leges.

Satisfit ad ea, quæ contra Iurispudentiam, ejulque Professores obijciuntur.

Q V A E S T I O V.

Non minoris certe impudentiæ taxandi ii sunt qui contra Iurispudentiam, ejulque Professores, quam qui contra Medicinam, Medicolque obloquantur; & idcirco quæcumque in ejus, eorumque despectum obijciunt, tanquam falsa, nullaque ratione sulsa, sed summa cum temeritate prolata, confutanda, reprobanda, rejicienda, nam nemo qui mente præditus est redarguerit vel leges, vel legiflatores, ut ex S. Cyrillo dicit Suarez lib. 1. de leg. cap. 3. nu. 19. Sed ad objecta satisficiamus.

Legumlationem primo ab Hominum malitia originem duxisse opponebatur, quod quidem si de ea parte intelligitur, quæ vitia, invidis pœnis; reprimat, aut hominum dirimit controversias, verum quidem utrumque erit, sed si de ea, quæ mores dirigit, & viam felicitatis docet, falsum. sed sit quomodocunque, nihil hoc demit de legum dignitate, undecunque enim originem habeant, Hominem ad Iustitiam, & Virtutem disponunt. sed quod opponitur certe falsitatis convincitur, quia lex ipsa à natura originem habet, contra illud, quod in oppositum addebatur, leges nempe esse naturæ contrarias, quod tantum à vero abest, ut ipsa natura nihil aliud sit, nisi lex quædam in rebus creatis, unde tam lex, quam natura omnia sibi subjiciunt vel nostro Hippocrate afferente in princ. lib. de Genit. an non à natura est, ut suum unicuique tribuatur? ad hoc à legibus præcipue intenditur. sed quomodo dixeris, legem ab Hominum malitia originem duxisse, si Deus ipse, ut Plutarch. in lib. de doct. Princ. dicebat, Lex est tum antiquissima, tum exactissima? unde recte Cicero lib. 3. Epist. 6. dixit, Legem simul cum mente divina ortam esse. cum ergo Deus ipse sit conditor naturæ, non poterit naturæ esse contrarius, non fuerit ergo lex naturæ contraria.

Præterea Legumperitia est Philosophiæ pars, & ex ipsa Philosophia immediatam dependentiam habet l. 1. ff. de Insti. & Iur. Zalius in l. 2. de orig. Iur. par. 3. num. 75. neque hoc ab ipsis Medicis controvertitur, Goynæus in libell. Quod Philos. & Med. deb. præced. Inrec. Obicius ita l. 1. de nob. Med. in princ. quod & multo ante Cicero lib. 1. de Leg. prope principium firmaverat dicens, Iuris disciplinam ex itima Philosophia hauriendam puto. cum ergo ita sit, erit insimul Iurispudentia Sapientiæ pars, ita enim vocatur à Iureconsulto in l. 1. §. Proinde. ff. de var. & extr. cognit. ex quibus veritatem insimul habebit Juvenal. dictum Satyr. 14.

Namquam aliud Natura, a'ud Sapientia dicitur. non modo ergo leges non sunt naturæ contrariæ, sed initium Iuris ab ipsa natura proficiscitur, ut testatur Cicero lib. 2. de Invent. prope finem; ex quo D. Th. 1. 2. qu. 91. art. 3. nam ante quamcunque conditam legem est in natura quædam naturalis lex, ut ij. Pp 3 sentit



sentit idem Cic. lib. 2. de leg. & D. Thom. ex quibus Suarez. de leg. lib. 1. cap. 3. num. 9. quod si Plato aliquando dixerit, legem, & naturam inter se plerumque contrarias esse, respexit solummodo ad naturam propensionem, & ad eam partem, qua illam tendentem ad malum retrahit a malo, nam uniuersim legis subiectum est homo dirigibilis in bonum maxime commune, aut in bonum commune, & in Deum secundum sacros canones Lenauder. de Doct. par. 3. quest. 1. & ex nostris Epiphani. Ferdinan. Theorem. 1. lib. 1. idcirco prudentissime Cicero lib. 1. de leg. sic legem definebat. Lex est Ratio summa in natura, qua iubet ea, qua facienda sunt, prohibetque contraria: non enim aliud leges sunt, ut pulcherrime ex Seneca dicebat Vir Doctissimus Melchior Lortherius lib. 1. absolutissimi sui operis de re Benef. quest. 2. num. 47. quam minis mixta precepta, nimirum ut minis a malo retrahant, ut preceptis impellant ad bonum. quandoconque ergo naturalis propensio a bono retrahit, & ad malum impellit absque dubio lex illi contraria est, qua naturam prauitatem emendare fatagit retrahendo a contrariis, impellendo ad contraria. alias autem lex est ipsi naturae consona, quia cum virtus sit hominis propria, ut alias dictum est, & lex disponat hominem ad virtutem, Arist. 5. Ethic. cap. 1. non potest lex naturae esse contraria; nam bonum cuiuslibet virtus est conueniens homini secundum Rationem, ideo conuenit ei naturaliter. D. Thom. 1. 2. quest. 147. ex vitio autem partis inferioris fit, ut quanto magis viriles homines sunt, nempe partem irascibilem predominantem sortiri, eo magis a legibus auerterentur, quemadmodum ex Hippocraticis dicto opponebatur, & hoc fit, quia dominante irascibili Homines a Ratione sunt alieni, contra vero ubi Ratio predominat, leges plurimum ad magnanimitatem conferunt, eodem Hippocrate asserente in lib. de Aer. Ag. & loc. num. 54. neque ad magnanimitatem solum, sed ad quancunque virtutes leges conferre palam est, retrahentes enim vel per vim Homines a malo, & impellentes ad bonum, conciliant illis habitum quandam cuiuscunque virtutis, & ut Arist. lib. 2. Moral. Nicomach. cap. 1. dicebat, assuescentes faciunt bonos, imo haec, ut addit, est uniuersaeque legislatoris voluntas, qui vero id non bene efficiunt peccant. & cum virtus duplex sit infusa, & acquisita, leges ad infusam homines disponunt, & acquisitam caussant. D. Thom. par. 2. quest. 92. art. 1. ad 1. & quest. ead. art. 2. ad 4. ob haec igitur tantum leges excellunt, ut per eas consociari homines cum Diis putandum esse dixerit Cic. loco cit. neque injuria lex Dei donum vocatur a Iureconsulto in 1. Nam & Demosthenes. ff. de leg. quem sequitur Glo. in l. Cum in longi. §. sin autem. C. de praescript. long. temp. nam vel Galeno nostro edocente in lib. Quod Animi sit id, quod in utero est, cap. 5. class. 1. Leges ferre inprimis Deorum est, siquidem rerum omnium pater inter Deos omnia lege disponit, cui dicto simile est illud D. Thom. 1. 2. quest. 1293. art. 3. quod leges humane (dummodo sint quales esse debent, nempe ut rectae Rationis quippiam sapiant) omnes, ac singulae ab aeterna lege originem habent.

Quamquam autem leges non instruunt Homines ad virtutes, sed ad eas tantum preceptis alliciunt, & vi, ac metu a vitiis retrahunt, tamen lex ad hoc maxime inventa, ut actus humanos dirigat, & in quantum actus humani operantur ad virtutem, in

tantum lex facit Homines bonos. D. Thom. ubi supra art. 1. ad 1.

Quod autem Homo non egeret legibus, si per se bene viveret, verum forte est, si ita accipiatur, ut intelligatur non egeret lege illa, qua vi, & metu retrahit homines a malis operibus, qua coactiva dicitur, quia cum Homo per se bene operatur ostendit opus legis scriptum in corde suo, ut ex D. Paulo ad Rom. 2. D. Thom. 1. 2. quest. 96. art. 5. ad 1. non ergo hic Homo sine lege viveret, sed maxime ex lege, quia iustissimus esset, quod est secundum leges vivere, esset enim sibi metipsum regula suorum actuum, ex qua regula vivendo ex lege viveret, quae nihil aliud est quam regula humanorum actuum, D. Thom. ubi proxime. quomodo autem intelligendum sit D. Pauli dictum, quod lex Iusto posita non sit, vide apud Suarez lib. 1. de leg. cap. 19. n. 2. & seqq. apud quem vide alia ad hanc ipsam rem facientia.

Quod dicebat Plutarchus, leges ab Hominebus latas aequitati, & rationi consonas non esse, & D. Thom. quod leges scriptae continent aliquando iniustitiam, nequaquam peccatum est ipsius scientiae ferendi leges, seu ipsarum legum, sed est hominum peccatum, nempe legislatorum, quemadmodum non artis, sed Medici peccatum est, si remedia morbo praescribat non conuenientia; secundum praedictam enim scientiam ferendi leges, haec semper esse debent aequitati, & rationi consonae, quae vero aliter latae sunt per errorem, & malitiam absque inhaerentia ejus scientiae, ejusque preceptorum late fuerint, & hujusmodi leges, quae sine ratione sunt latae, non dicuntur leges, sed scita tyrannica, ut ex Cicerone admonet supracitatus doctissimus Lotherius lib. 2. de re benefic. quest. 40. num. 20. neque sunt cum effectu leges, sed perversitates potius legum, ut cum D. Thom. ubi supra, quest. 92. art. 2. ad 4. dicit Suarez lib. 1. de leg. cap. 9. quod notat etiam Io. Huart. in exam. Ingen. cap. 11. & ad id, quod addit, legem etiam iniustam, & duram esse servandam, respondetur, hoc fieri ob ipsarum legum reverentiam, quibus obtemperare conuenit, ne una sprete caetera etiam vilipendio habeantur. sed alium sensum ad I. Prosepjit, quam adduximus, vide apud Melchior. Lotherium ex lafone ubi supra num. 29.

Obscuritas ipsarum legum, si qua est, vel hominum peccatum est, vel studio, & ex industria procurata, ne si faciliores intellectu sint, imperitis, ac rudioribus communicentur, ab ipsique desidentur, ut aliis scientiis, & praecipue medicinae evenisse constat, alias enim leges scribi debent sermone maxime intelligibili, ut unusquisque cognoscere possit quid lex jubeat, D. Thom. ubi supra, art. 3. quest. 95. & notavit etiam Ioan. Huart. ibid.

Contrarietas etiam, & perplexitas legum est quid ex accidenti; nam satis est, si nullam habeant dubitationem, & contrarietatem quoad legislatorem, etiam si habeant quoad nos. Mant. sing. 39. num. 1. pro saeculi vero novitate, ac temporum mutatione, & conditione nova lex conditur jam condita forte contraria, & hoc ex arte, & secundum iustitiam fieri non est quid vetet.

Quod nulla idcirco videatur esse legum necessitas, quia mundus aliquando sine legibus existerit, falsum est, si de lege absolute dicatur; est enim verum de lege scripta tantum; nam lex semper cum mundo fuit, & cum ipso mundo, & cum ipso homine nata est, ita ut impossibile sit illam ab ejus corde

corde aboleri. D. Thom. 1. 2. quest. 90. art. 6. imo tam necessaria est lex homini, ut supposita ejus creatione, lex impliciter fuerit necessaria, necessitate finis, ut declarat Suarez lib. 1. de leg. cap. 3. num. 3. non potest ergo Homo sine lege esse, ita ut si qui Populi lege carere viderentur, hoc nequaquam ita sit, quia, ut D. Paulus ad Rom. cap. 2. vers. 14. ex quo D. Thom. ubi supra, quest. 90. art. 3. dicebat, Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. De Regnis, quae legibus carent idem prorsus dicendum est, absolute enim carere non possunt, quae cum natura ipsa existit, quod si deficiat lex scripta, supplet ipsa ratio naturalis, quae legis loco habetur. D. Thom. ubi sepe, quest. 91. art. 2. Ludovic. Roman. sing. 78. quomodo vero subsisteret Mundus, aut Homo sine legibus viveret, si a feris time nihil differret, & facile iniustitia sua se ipsum absumeret? nam Homo separatus a lege & iustitia est pessimum omnium animalium, habet enim arma Rationis ad explendas concupiscentias, & saevitias ex Aristot. idem D. Thom. ibid. qu. 96. art. 1. per leges autem a feris homo maxime distinguitur in ratione vivendi, quia per eas iustitiam adhaeret, feritate exuta, unde Claudian. in Manl. consul. Iustitiam allocutus;

— Tu prima hominem scelestisibus antris  
Elicis, & fado detergis seculi vitium,  
Te propter colimus leges, animasque ferarum  
Exanimus.

Eaque de re primi Legislatores, ut Poetae fabulantur, dicti sunt lenisse teras, ac movisse saxa, ut de Orpheo, & Amphione, Horat. in Art. Poet. ubi Silvestres Homines sacer, interpresque Deorum  
Caudibus, & vitibus fado deteruit Orpheus,  
Dicitus ob hoc lenire Tigris, rapidosque Leones,  
Dicitus & Amphion Trojanae conditor Arcis  
Saxa movere sono Testudinis, & prece blanda  
Ducere quo vellent.

quod idcirco dictum est, quia Homines absque lege viventes ipsis feris erant simillimi, imo & faxis nullo sensu praeditis, tam a Ratione erant alieni. Necessse est, inquit Plato lib. 9. de Leg. Leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant, nam si absque his viverent nihilo a feris atrocissimis discrepant. cui dicto aptari quoque potest illud Psalm. 9. vers. ut. Constitue Domine Legislatorem super eos, ut sciant gentes quia homines sunt. quasi dicat, necesse est dari gentibus Legislatores, qui eas regant, atque instruant, doceantque se a feris differre, & idcirco secundum leges vivere debere.

Dictum Platonis de multitudine Iureconsultorum, quod arguat male constitutam civitatem, declarandum est, quod intelligatur de iis Iureconsultis, qui litibus fovendis solummodo apti sunt, & cavillationibus pugnantibus plerumque contra iustitiam lites fovent: nam alius Iureconsulti sunt in civitate necessari non sicut ac leges, de quibus Plutarch. in problem. Rom. nu. 40. dicebat, maximum atque pulcherrimum iudicari in civitate legum bonitatem, & sicuti corpus absque anima vivere non potest, sic neque Civitas absque Legibus; haec etenim sunt anima Civitatis, Cael. Rhod. licet Antiq. lib. 18. cap. 19.

Ad objectionem, quod leges suo sine frustrentur, quia neque ad omnes virtutes homines in-

struant, neque omnia vitia corrigunt, respondendum ex D. Thom. 1. 2. quest. 96. art. 2. ad tertium, quod satis est, si leges dirigant homines ad eam virtutem, quae ad commune bonum ordinatur, nam hoc sibi proponunt, sic etiam & de vitiis dicendum, & tandem quamquam omnia non faciunt, non idcirco improbanda quae faciunt, D. Thom. ibid.

Ceterum Iurisprudentiam non esse artem, neque scientiam ex eo, quod ejus principium non sit in re, sed in Principibus, haudquaquam verum est, quia etiam si Principes ferant leges, semper tamen inhaerent ipsi rei Naturae, & prout ars, seu scientia ferendi leges dicitur, semperque Principis voluntas est, esse debet aliqua ratione regulata, ad hoc quod legis rationem habeat, alioquin voluntas Principis non est lex, sed iniquitas potius, quam lex. verba sunt D. Thom. ubi supra, quest. 90. art. 1. ad 3. & quest. 95. art. 2. Suarez lib. 3. de leg. cap. 12. num. 4. & quod de ratione legis sit, ut inhaerent scientiae, ac regulae ferendi leges, & sit iusta, & iuste lata abunde praecaveris, ut videtur, docet idem Suarez lib. 1. de leg. cap. 9. per totum. Cum ergo lex sit aliquid Rationis, ut idem D. Thom. eadem 9. 90. art. 1. dicebat, non potest habere suum principium in mera Principis voluntate, quae aliquando a ratione est aliena.

Instabilitas porro legum non facit instabilem, & variabilem scientiam condendi leges, quae in hoc praecipue consistit, ut juxta temporum varietatem, & hominum conditionem, & juxta aliorum ab extra accidentium opportunitatem leges condantur nunc hoc, nunc illo modo, & quod aliquando concedant, quae alias negaverint, & contra, & quod peccata quaedam, alias leviora, & antea facta tempore ut talia, non animadvertis, nunc multa severitate puniant, & sic de caeteris. necesse enim est, ut leges generaliter ponantur, actiones autem circa singularia sunt, unde patet quaedam leges, & quandoque esse mutandas. verba sunt Arist. lib. 2. Politic. cap. 6. apud quem complura vide de legum mutatione, & alia apud D. Thom. 1. 2. quest. 97. per totum. facit pro Iureconsultis l. Iura. & ill. segg. ff. de leg. & notata a Suarez lib. 1. de leg. cap. ult. per totum. Non ergo inconstantiae insimulanda est scientia ferendi leges, quia ex ipsius scientiae preceptis fit, ut leges pro rerum opportunitate mutari aliquando debeant. imo & pro populorum, regionumque varietate, una enim eademque lex non potest omnibus populis convenire; sicuti unum, idemque medicamentum diversis aegrotantibus, & aegritudinibus non convenit.

Sed quid ego incassum pro Iureconsultis dimicari laboro? satis superque ex se ipsi calumnias quasque sibi, eorumque professioni objectas refellunt, seque suamque artem acerrime tuerunt; unde si quis est, qui ad ea, quae contra ipsos obijciuntur pleniorum desideret satisfactionem ipsos ad eat, ac praec omnibus post perosque antiquiores Cessan. in Catal. Glor. mundi. par. 10. conf. 25. Tiraq. de nobilit. cap. 31. & adductos per Benium de privit. Iureconf. privit. 55. Carrar. de Med. par. 1. & alios quamplurimos, quos brevitati causa omitto.

S V M M A R I V M.

- 1 Homo ex sui natura est animal sociabile.
- 2 Homo debuit ad communis bonum instrui.



- 3 Bonum civile non est simpliciter, & per se bonum.
- 4 Homo absque Religione iustus esse non potest.
- 5 Religio est potissima Iustitiae pars.
- 6 Nihil Deo similis, quam iustissimus Homo.
- 7 Legis vox, & veteris convenientia.
- 8 Bonum commune quomodo conservetur.
- 9 Politica facultatis adiuvantia unde.
- 10 Lex scripta cur lata.
- 11 Lex scripta muta, ac mortua per se est.
- 12 Leges ferre quis debeat.
- 13 Lex viva necessitas.
- 14 Actiones hominum, circa quas iudicia occurrunt, sunt de singularibus.
- 15 Actiones hominum in communitate viventium semper sunt ad alterum.
- 16 Iurispræsentia inventio unde.
- 17 Iurispræsentia finis.

Lex quomodo orta, Politica unde originem traxerit, unde item Iurispræsentia.

QVÆSTIO VI.

Vindicatis jam à maledicentium calumniis ambabus scientiis non nisi multa laude, & honore prosequendis, earumque professoribus ab iniuste illatis iniuriis, & objectis vitis, quantum nobis permillum fuit liberatis, reliquum est, ut jam pacato animo, omnique prorsus pathemate undequaque deposito, ad litem in hoc titulo propolitam dirimendam accedamus. At quoniam ego Medicus Medicorum partes tueri obligatus, suspectus in sententia ferenda haberi possum, si pro Medicis lata fuerit, ingrati autem, ac perverfi animi vir si contra Medicos, reclamante veritate, pronuntiaverim, recte medius fidius mihi consultum puto, si sententiam non suspecto Iudici ferendam relinquam. quoniam autem re omni ex parte sic indecisa relicta, viderer post multum apparatus, ac post multum exhibitum negotium, multamque de nobis opinionem excitatam, nihil tandem in medium atulisse, ea de re nollem undique mihi viam præclusam esse, quo minus pro veritate multa proponam, quibus perpensis Iudex, qui quis tandem ille futurus sit, facilius secundum Iustitiam pronuntiare possit.

Ante omnia igitur operæpretium videtur voces quasdam, ac terminos in disputationis processu occurrentes declarare, ac distinguere, ex confusa enim eorum acceptione quamplurimos in iudicando errores emergere posse tam certum est, quam quod certissimum. atque hanc unam causam agnosco, ob quam Iureconsulti tam iniquam præ Iure suo causam Medicorum faciunt, tamque impar proprio eorundem Medicorum Ius, nulla etenim vocum distinctione, aut terminorum liquidatione utuntur, sed indistincte omnia accipiunt, legem nempe aliquando pro Politica, Politicam pro Iurispræsentia, & quod pejus est Iurispræsentiam pro lege, sic & legem vivam pro Politico, Politicum pro Iurispræsentio, & sic de cæteris, quod etiam cum de Medicina verba faciunt, uluvenit, confundentes interdum Medicinam Phisicam cum Chirurgia, & quacunque alia mechanica, & quæ uni conveniunt alteri tribuendo. Nunc vero priusquam ad id, quod propoluitus accedamus, de earundem Legis, Politi-

cæ, & Iurispræsentia origine aliqua præmittamus, ex quibus quæcunque de terminorum explanatione afferemus, clariora evadent.

Homo igitur, cum ex sui natura animal sit sociabile, debuit absque dubio in communitate vivere, quod nequaquam succedere poterat, nisi ad bonum illud dirigeretur, quod maxime ad communitatis conservationem faceret. debuit ergo civilis homo ad commune bonum institui, ut Civitates, Regna, Respublicæ, communitates & benegererentur, ac diu, multumque, & si fieri posset, ad æternitatem usque perdurarent. sed quia bonum civile non nisi per participationem divini boni, non autem simpliciter, & per se bonum est, idcirco inaccessibile homo ad humanum, & civile bonum dirigebatur, nisi ante ad divini affectionem disponeretur, quia cum lex deberet instruere hominem ad Iustitiam, certum est, quod absque Religione, qua divinum illud bonum præcipue consequimur, iustus esse non poterat, ipsa enim Religio, qua Deo tribuimus quod debemus, est potissima pars Iustitiae. D. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 1. si ergo ante homo in Deum dirigatur, tunc exercendo actus Iustitiae ipsi Deo similis efficitur, qui vera Iustitia est, unde Iure Plato in Theæto, dicebat, Nihil Deo similis, quam iustissimus homo. Igitur cum per humanam sapientiam non posset homo dirigi in verum bonum, oportuit hoc à summa Dei sapientia emanare, & sic ipse Deus pro temporum oportunitate, & pro majori, aut minori hominum perfectione utramque legem condidit veterem, & novam. D. Thom. 1. 2. quæ. 90. art. 5. quæ inter se ita conveniunt, ut nova non sit destructio veteris, sed eius perfectio, & complementum iuxta illud in Evangelio, Non veni solvere legem, sed adimplere.

Postquam autem per legem divinam homo ad verum bonum dirigi erat aptus, ut sciret dehinc tanquam civile animal in societate vivere, oportuit, ut regulam quamdam haberet, secundum quam ea faceret, quæ ad civilem, communisque honestelam erant necessaria; tunc autem commune bonum tutum, & illæsum servatur, cum præsupposito ante Dei timore, alter alteri in communitate non nocet, & cum suum unicuique tribuitur: in his enim maxime consistit Iustitia, & hæc præcipue à legibus iubentur. I. Iustitia. ff. de Iur. & Iur. Quoniam autem hæc regula recte vivendi in communitate ob Populorum, Regionum, morum, ac temporum, aliarumque rerum varietatem non poterat ubique, ac semper esse una, idcirco inventa est scientia quædam, ex qua discere liceret, quænam vivendi regula huic, aut illi populo, uni, aut alteri Reipublicæ, his, aut illis regnis, communitatibus, universitatibus, ac civitatibus, hoc, aut illo tempore, his, aut illis moribus vigentibus esset oportuna, quæ scientia Politica dicta est, quæ non aliud intendit, nisi per rectam legumlationem Populorum, Regionum, ac Rerumpublicarum optimam gubernationem, ut diu durent, & augeantur, & sic varias leges legere docet, ita ut non Respublicas ad leges, sed leges ad Respublicas accommodandas demonstrat. Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 2.

Præterea oportebat homines in communitate viventes notum habere quid agere, quid prætermittere deberent, ut omnes, ac singuli ad commune bonum conspirarent, idcirco regulam illam, quam diximus, & secundum quam homines vivere debebant, notificari illis aliquo modo oportuit, &

& præcipue in scriptis tradi, quæ deinceps lex scripta dicta est; nisi enim aut scriptis, aut alio modo notificaretur, ignorantia præsumi poterat, & homines ab eius observantia excusari. idcirco lex nisi vel scriptis promulgetur, vel consuetudine introductatur nullius valoris est, D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. abundè Suarez de leg. lib. 1. cap. 11. per totum.

Sed cum his omnibus lex etiam iuxta præcepta Politicæ tradita, scripta, aut quovis modo promulgata infirma, ac nullius valoris adhuc erat, quia Politicus ut talis non habebat potestatem in homines, ut eos ad conditas à se leges servandas cogere posset, nam lata lex per semetipsa muta, ac mortua permanebat, & quæ ab hominibus nullo negotio aspernaretur, debuit igitur is leges ferre, qui in Populos plenam haberet potestatem præcipiendi, vetandi, permittendi, puniendi. & sic ad summum tantum Reges, & Imperatores pertinere debuit condere leges. Suarez de leg. lib. 3. cap. 4. & 9. hi enim vim conciliare poterant, ac robur legibus dare à Politicis, & Legumlatoribus secundum eorum scientiæ principia traditis. oportuit igitur præter legem illam mutam, ac mortuam ex se dari legem vivam, quæ haberet in homines potestatem, ut præceptis, minis, ac vi illos ad latæ legis observantiam alliceret, invitaret, cogeret, si oporteret.

Quia tamen, ut alias diximus, actiones circa quas iudicia versantur, sunt particularium, & numero infinitæ, ipsa lex viva non poterat ad omnia sufficere, idcirco debuit alios homines suæ ipsius potestatis participes facere, qui vicem suam gererent, & essent tanquam leges vivæ particulares ad hæc, aut illa iudiciorum genera destinatæ, & sic à supremis Imperatoribus, Regibus, Potentatibus, & Magistratibus creari oportuit Præsides, Prætores, Iudices, & huiusmodi alios ministros majores, & minores, prout necessitas, & varietas iudiciorum exigebat.

Præter hæc omnia cum, ut iam dictum est, actiones essent particularium, & leges universaliter essent positæ, hinc alia difficultas insurgebat; nam cum hæc actiones hominis prout in communitate maxime vivit, essent ad alterum, nempe vel ad alium hominem, vel ad ipsam Iustitiam, divinam forte, aut humanam respicientes, quasi de necessitate oportuit sepe sapius in iudicando contentione excitari inter eas personas quarum sunt, & ad quas sunt hominum actiones, dum universales regulas à legibus traditas particularibus his actionibus applicare contingebat; ea igitur de causa necesse fuit dari artificiosam quamdam, aut si libet sic appellare, rationabilem facultatem, quæ ex eisdem legis latæ principiis, & ex eius recta intellectione, quoadcunque de particularibus hominum actionibus iuxta universalem legis dispositionem determinandum, ac pronuntiandum à Iudice esset. ipsa dubia, & difficultates pro alterutra parte pullulantes amoveret, & sententiam pro se à Iudice exposceret. & hæc fuit Iurispræsentia (quam nunc vocant) facultas sic appellata, quod jam constituta legum, & conditi Iurispræsentiam profiteatur. nam, quicquid in contrarium aliqui dicant, nihil hæc facultas ultra rectam legis intellectiorem sibi pro sine proponit, ut ejus verba universaliter prolata particularibus casibus, & difficultatibus, si quæ pulluleant applicare possit, illisque ex eisdemmet legis verbis satisfaciendo. neque ad eam facultatem

tem pertinet latæ legis causam reddere, aut cur sic, & non aliter sit intelligenda, sed sufficit illi si per unam legem alteri satisfaciatur; unde si finis ab hac facultate intentus propalandum sit, certe alius non est, nisi recta legis intellectio quatenus ad particulares casus decidendos infervere debet, non quatenus ad publici boni custodiam tendit.

S V M M A R I V M.

- 1 Legis nomen ad multa aptatur.
- 2 Lex proprie quid.
- 3 Lex propriissime quid.
- 4 Lex est quod omnino à scientia Legis distinctum.
- 5 Lex divina opus est divina sapientia, civibus humanæ.
- 6 Politica parte Leges, Leges Iurispræsentiam.
- 7 Legis definitio ab Iuliano tradita examinatur.
- 8 Iurispræsentia proprie quid.
- 9 Iurispræsentia proprie dicta, neque divinarum, neque humanarum rerum causas, aut principia perscrutatur.
- 10 Præter Iustitiam legalem, alia est multo potior Iustitia.
- 11 Lex lata, vel quomodocunque condita correspondet lex viva, Politicæ Potentis, Iurispræsentia ejus professoris.
- 12 Differentie inter Politicam, & Iurispræsentiam.
- 13 Philosophia est scientia rerum naturalium.
- 14 Medicina à Philosophia distinguitur tanquam pars à toto.
- 15 Medicus non est, qui non est Philosophus.

Vocum, ac Terminorum elucidatio:

QVÆSTIO VII.

NE igitur ex vocum, ac terminorum, quæ in disputatione occurrunt, confusione, & indistincta acceptione decipiamur, ipsæ voces, ac termini declarandi, ac inter se distinguendi, ut sciamus de quantum re verba fiant, & cuiusmodi conveniant quæ proferuntur, nam aliquando Iurispræsentia, & Legis nomina confundentes Legis propria Iurispræsentia tribuimus, & Medicinæ nomen indistincte accipientes, quæ Chirurgiæ, aut inferiori arti conveniunt veræ Medicinæ aptamus, & sic de cæteris: qui error non modo Iurispræsentos maxime exercuit, sed etiam Medicos nonnullos, qui de hac materia scribentes, terminos distinguere aut nescientes, aut negligentes, non undequaque susceptam provinciam adimplevere, sed ad objectiones Iureconsultorum non plene satisfaciendes dubiam suam victoriam fecerunt.

A Legis ergo nomine incipientes, patet illud à multa aptari, omnis namque regula ad quodcunque recte peragendum, aut pronuntiandum lex dici potest, atque hoc pacto omnes non modo scientiæ, ac facultates, sed etiam viliissimæ quæque artes, imo etiam si quæ extra omnem artem peragant, aut ad aliquem præmeditatum finem deduci possunt, suas habent leges. sic Hippocrates noster cum demonstrare vellet, quæ Medico requirantur, qui bonus futurus sit, legem constituit, nempe regulam, qua id ordine traderet, unde non injuria idem Hippocr. in lib. de Genit. dixit, Legem omnia sibi subjicere, quia per legem, hoc est per regulam quam-



quosdam omnia diriguntur, sed per Antonomiam, ac proprie lex vocatur regula humanorum actuum à Deo, vel ab homine tradita, quæ ipsum ad verum, ac ultimum finem, aut ad commune bonum dirigit. licet propriissime, & per se illa tantum Regula dicatur Lex, & vera Lex, quæ hominem ad suum finem, ac verum, ultimumque bonum dirigit, nempe ad Deum, & hæc est lex divina, cujus participatione civilis regula, quæ eundem hominem ad commune, & civile bonum instruit, lex vocatur. Sciens autem, ac volens silentio præteribo hujus nominis legis deductionem, præterquam quod enim plura de ea re passim apud plures Doctores occurrunt, qui de legibus scripserunt, videor mihi nonnulla in superioribus quæstionibus attulisse, quæ pro nunc sufficiant.

Hic porro per legem accipimus utramque regulam, secundum quam homo vel ut civilis persona, vel ut ad ultimum suum finem destinatus ex Dei, aut hominis præcepto vivere debet, illud autem ex his certissimum sit, legis nomen accipi debere, ut quid omnino à legali facultate distinctum, ac per se existens, tanquam opus quoddam ab arte relictum, quod licet ab arte proficiscatur, & secundum artem sit, non tamen ipsum ars est, seu artifex: nam lex divina opus est divinæ sapientia, civilis autem humanæ, nempe scientiæ Politicæ, veluti statua statuariæ, & sanitas Medicinæ, & hoc pacto non aliter lex à legis peritia, & ab ipsa quoque Politicæ distinguitur, quam statua à statuaria, & sanitas à Medicina. unde constat neque artem esse legem, neque scientiam, sed opus quoddam scientificum, aut artificiale Politicæ facultatis, atque hac ratione semper hic à nobis legis nomen accipiendum, contra quam eveniat apud Iureconsultos, & alios, apud quos perperam pro ipsa legali scientia, nempe Politicæ, aut, quod magis ab re est, pro ipsa Iurisperitia accipitur; cum tamen lex à legumperitia, & Legumperitia à Politicæ, & Politicæ à Lege, non aliter differat, quam statua à statuaria, & statuaria à marmoraria, & marmoraria à statua, aut non fecus quam differat figura depicta ab ipsa arte pingendi, & ars pingendi à coloraria, & coloraria ab ipsa figura delineata; nam scientia Politicæ leges parit, leges autem Iurisperitiam.

Idem error, qui intervenit in legis nomine, locum quoque habet in Iuris Scientiæ, Iurisprudentiæ, Legumperitiæ, & Iurisperitiæ nominibus. accipiuntur enim omnia indistincte, & indifferenter ab ipsis Iureconsultis præcipue pro duabus facultatibus inter se toto cælo differentibus. ac profecto non videtur ab eo errore immunis fuisse Vlpianus in l. Iustitia ff. de Iur. & Iur. in qua Encomium potius, quam definitionem Iurisprudentiæ tradidit, dicens, Iurisprudentia est divinarum, atque humanarum rerum notitia, iusti, atque iniusti scientia; neque constar quid vere definire voluerit, Politicam, aut Iurisperitiam, nam neutri applicari ea definitio potest; utrum autem applicari possit Politicæ, pro nunc determinare non curo; quod Iurisperitiæ aptari non possit, patet, si ea, quæ superiori quæstione retulimus in memoriam redigantur, neque enim est notitia divinarum, aut humanarum rerum, cum ad eam non pertineat eas cognoscere, neque est iusti, aut iniusti scientia, quia neque omnino iustum, aut iniustum est ipsius subjectum, neque rem per causam cognoscit, cum tantum facultas

fit, ut ex superioribus patet, quæ ex recta legum intellectione emergentes lites dirimere apud Iudicem contendit, aut si facultas, quæ secundum universalem legum dispositionem particulares hominum actiones apud Iudicem tuetur, nam quicquid novit ex regulis, & canonibus habet, per quos leges sunt late, huiusmodi autem habitus dicitur proprie peritia, non scientia, ut optime singillatim de Iurisperitia verba faciens demonstrat ex nostris Hieronym. Capivacc. de differ. doctrin. cap. 2. prope finem. Neque hæc facultas, ut dixi, de divinarum, aut humanarum rerum natura causas, aut principia perscrutatur, neque item est iusti, aut iniusti scientia, cum causam non reddat, cur hoc sit iustum, illud iniustum, nisi quod sic à lege dispositum invenit, quod vero secundum legem est, iustum dicitur, iniustum, quod contra legem. licet præter iustitiam legalem alia sit potior Iustitia quædam, de qua alius, ita ut Iurisprudentia præterquam quod non est eo modo accepta Iusti, aut iniusti scientia, non omne iustum, aut iniustum pro subjecto habeat, ut jam dixi.

Quemadmodum autem huiusmodi facultatum, & operum ab iis emanantium nomina inter se tantopere differunt, sic etiam professores inter se differre tam certum est, quam quod certissimum; nam legi scriptæ, vel alio modo late, operi nempe scientifico à Politicæ emananti, respondet lex viva ab æterno, ac sapientissimo Politico Deo emanans. Politicæ facultati correspondent Politici, & legum conditores; Iurisperitiæ vero Iurisperiti, ut cum de dignitate hominum, professorumque quicquam requiritur ad eandem scientiarum, & facultatum, ac scientifici operis adminiculum id erit statuendum; cum maxime inter Politicum, & Iureconsultum. Politicus quidem legem condit, quantum ad ipsum spectat, in universali, Iureconsultus condit legem particularibus hominum actionibus accommodat, Politicus constituendo leges innititur Moralis Philosophiæ principii, ejus nempe partis, quæ Activa dicitur, quorum principiorum virtute varias leges condit pro Populorum, Civitatum, Regnorum exigentia, innovat pro hominum malitia, abrogat pro de novo emergentium necessitate, mutat pro temporis opportunitate. Iurisperitus nihil horum agit, sed tantum in constitutarum legum recta perceptione insistit, ut quam maxime fieri potest, secundum eorum mentem, & dispositionem particularium casuum decisionem, à Iudice reporter, ita ut Politicus opus construat, Iureconsultus constructo opere utatur, eo modo, quo diximus.

Nomina quoque Philosophiæ, & Medicinæ veniunt distinguenda, nam Philosophia quidem scientia est rerum naturalium, cujus multe sunt partes, & quarum una medicina est, & maxime speculativa, & licet realiter Medicina à Philosophia distinguatur tanquam pars à toto, ita ut Medicinam nominantes non intelligamus eam pro scientia omnium rerum naturalium, sed quarundam, nempe earum, quæ ad humani corporis salutem tuendam, & recuperandam spectant, tamen medicinæ nomine partem non factivam tantum, sed speculativam quoque comprehendimus. & licet hoc quoque medicinæ nomine abutatur, comprehendentes per illud quamlibet medicinæ partem etiam mechanicam, & sordidam, tamen hic medicinam accipimus in vero, & propriissimo sensu,

sensu, pro facultate scilicet, quæ res naturales considerantur in ordine ad sanitatem corporis humani; hoc enim pacto non solum Philosophiæ pars est, sed ipsissima Philosophia: quomobrem & Medici nomen strictè hic accipiendum, nempe pro Medico, qui Philosophus est, cum vere Medici nomine dignandus non sit, nisi idem sit Philosophus; & licet pro Philosopho intelligamus illum, qui rerum naturalium scientiam habet, etiam si Medicus non sit, pro Medico hic maxime non intelligimus illum, qui mederi novit, nisi sit Philosophus, sed eum, qui cum scientia rerum naturalium conjunxit scientiam medicinæ; hic enim Medicus proprie est, cæteri improptie, & per abusum Medici nominati, atque hunc quidem cum Iureconsultis comparare intendimus, nam solus ad causam venit, cæteri Medicis, vel potius pseudomedicis omnino fecedentibus, atque hoc pacto de nominibus, quæ in quæstionis processu occurrere debeant, sciendum, quod non reclamantibus Iureconsultis factum volo; si quam enim difficultatem afferre in medium eos sensero, pro viribus ei satisfacere conabor.

S V M M A R I V M.

- 1 Honor debetur virtuti, & civi.
- 2 Bonum unum altero majus, quando est magis excellens.
- 3 Bonum commune majus bono privato.
- 4 Bonum magis necessarium dicitur majus bono minus necessario.
- 5 Bonum magis appetibile majus est, quam bonum minus appetibile.
- 6 Illa virtus est alii preferenda, quæ majoris boni est effectiva prima, & per se.
- 7 Sanctitas bonum est animo, & corpori commune.
- 8 Lex supra omnes virtutes, omnesque scientias est honoranda.
- 9 Deus tanquam lex viva supra omnia honorandus, debent homines qui magis immediate ipsam primam legem vivam representant.
- 10 Philosophia Politicæ anteponenda.
- 11 Totum est melius, & excellentius sua parte.
- 12 Pars continetur in toto.
- 13 Philosophus Politicæ præcedere debet.
- 14 Politicæ medicinæ antepreferenda.
- 15 Politicus an debeat præcedere Medicum.
- 16 Iurisperitia longe abest à Philosophiæ dignitate.
- 17 Medicina Iurisperitiæ anteponenda.
- 18 Bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum.
- 19 Bonum emanans à Medicina est magis necessarium ad consequendam salutem, quam bonum emanans à Iurisprudentia.
- 20 Bonum emanans à medicina est per se appetibile.
- 21 Iurisperitia non est boni intenti causa per se.
- 22 Medicus, ut Medicus Iureconsulto anteponeatur.
- 23 Bonum emanans à Iurisprudentia est bonum particulare.
- 24 Iudex non exerceat Iustitiam ut Iureconsultus, sed ut representat legem vivam, ejusque potestatis factus est particeps.
- 25 Anima est pretiosior corpore.
- 26 Illa scientia nobilior, quæ habet nobilior subjectum.
- 27 Finis legalis scientiæ est conferre bonum publicum.
- 28 Illa scientiæ nobilior, per quam humana vita melius disponitur.

- 29 Illa scientia est nobilior, per quam homo sit magis obediens Deo.
- 30 Iurisprudentia est divinarum, & humanarum rerum cognitio.
- 31 Lex est donum Dei.
- 32 Medicus non est majoris valoris quam obstetric.
- 33 Scientia Legalis est nobilior Medicina, quia facilius modo acquiritur.
- 34 Illa scientia est nobilior, quæ parit nobilitatem effectivam.
- 35 Per scientiam legalem illuminatur mundus.
- 36 Legalis scientia prodest universis.
- 37 Sacerdotes præferuntur Laicis.
- 38 Doctores Iuris sunt tanquam sidera in cælo.
- 39 Omnes alie artes sunt vilissima respectu Iurisprudentiæ.
- 40 Facultas Legalis dicitur Thesaurus.
- 41 Doctoratus medicina conceditur Iudicis.
- 42 Notarius præfertur Medico.
- 43 Doctor Iuris præfertur apud leges Doctori Medico.
- 44 Iurista subrogantur loco Dei.

Decidenda quæstionis ratio ostenditur. Objectis in contrarium respondetur.

Q V Æ S T I O VIII.

Quæstionis hujusce decidenda rationem commonstrare non ut Iudici mihi licere expeto, sed ut ingenuo viro pro veritate ea in medium afferenti, quæ ad verum liti iudicium promulgandam faciunt. diximus ergo in hujus Tituli principio, Honorem deberi virtuti ex eo quod sit boni alicujus effectiva, idcirco enim virtus dicitur bonum honorabile Aristot. *Magis enim moral. lib. 1. cap. 3.* unde cum omnes virtutes non sint uno modo honorandæ, sed una altera magis, certe illa magis honorari debet, quæ majoris boni erit effectiva. D. Thom. 2. 2. quæst. 117. artic. 6. in corpore circa quod notandum primo, quod unum bonum tanto potest esse majus altero, quanto est magis excellens, sic bonum animi majus est bono corporis, & bonum divinum majus, quam bonum civile, unde majus etiam bonum est, quod emanat ex vita contemplativa, quam quod emanat ex activa. D. Thom. 1. 2. quæst. 2. art. 5. & 2. 2. quæst. 134. art. 3. & ibid. quæst. 152. art. 2. ad 4. & sic virtutes quæ ordinant in bonum divinum, quia est majus, hoc est magis excellens, aliis virtutibus præferuntur, D. Thom. ubi supra, quæst. 117. artic. 6.

Secundo, bonum, quod est magis commune, est majus, quam quod est minus commune; atque hoc pacto bonum civitatis majus est, quam bonum particularis alicujus familiæ, & bonum totius familiæ majus est, quam bonum individui, & sic inter virtutes Iustitia, quæ ordinatur in bonum commune honorabilior est, quam liberalitas; quæ tendit ad ordinandum propriam alicujus individui actionem circa possessionem, & usum pecuniarum, D. Thom. loco citato.

Tertio, unum bonum est majus altero quando est magis necessarium ad majus aliquid, aut superpremium bonum assequendum, atque hac ratione majus